

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1746)
Heft: 4

Artikel: Epistola Beati Rhenani ad Mathiam Erbium ecclesiasten
Richenwillensem e msc. edita
Autor: Rhenanus, Beatus
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394587>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 14.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Epistola *

BEATI RHENANI

ad
MATHIAM ERBIUM,

Ecclesiasten Richenwillensem.
e MSC. edita.

S. D.

CUm nuper Joannes ab Augusta Rhetiae, is
cui *Aprinus dens* cognomentum facit, in-
ter fabros materiarios primi nominis Ar-
gentariam accerferetur a Principe, ut intestinum
Opus

* Hanc oppido memorabilem Rhenani Epistolam, nun-
quam hactenus, quod sciam, typis expressam, Erbius manu
JOANNIS ULSTETTERI Norimbergensis, jam tum
hypodidasculi *Richenwillensis*, describi & ad HENRI-
CUM BULLINGERUM, Ecclesiae Tigurinæ Antistitem
vigilantissimum, transmitti curavit, his adjectis literulis.

BULLINGERO S.

„ Quirinus ægre impetravit a me descriptionem Epi-
„ stolæ Rhenani. Nam ad me illam dederat, ut respon-
„ derem barbaris aulæ proceribus, qui vetustatem &
„ ruinas Argentuariæ rident. Aiebat Quirinus a vestris
„ illam flagitari. A quibus sit prodita ignoro, nisi idem
„ Quirinus fecerit, qui dum hic est, a nostris non arce-
„ tur colloquiis, tum forte lecta fuit &c. Eam tibi bona
„ fide committo legendam cum reliquis &c. Alias forte
„ plura de ea re &c.

ERBIUS.

Opus ejus ædificii, quod illic extruitur, elaborandum ei locaret, aliquot videlicet cœnacula lacunaribus intecturo, & parietes materia vestituro, hac iter faciens, nuncium elocatorem in ædes meas adduxit, ut ille conspectis nonnullis Opificii speciminibus, quorum aliquot penes me habeo, commendabiliorem ipsum Principi faceret: Is Barrum (nam illic habitat) rediens post biduum, indicavit hic mihi, quanti cum Socio omnem illam incrustationem materiariam conduxisset. Gratulatus sum ei, qui locum reperisset, quod semper cupere visus est, ubi posset artem suam ostendere. Atque dum surgentem Principis structuram narrando mihi depingit, de qua pridem multa audieram, vivente adhuc *Georgio Wolphio* ab actis Oppidi Richenwillensis, occasionem dedit, ut Inscriptionem istam conciperem. Quanquam, ut verum dicam, non nunc primum ejus rei venit in mentem, sed tum statim cum Principem acceperam nescio quod munimentum illic moliri, convocatis consilii gratia vicinarum Civitatum architectis, in quibus & hujus Oppidi publicus Structor fuit *Sebastianus Zieglerus*, quo cum magna mihi familiaritas intercedit. At enim verebar, ne si quid hujusmodi misissem, ambiciosulus videri possem, & reprehensione dignus, qui alienis ultro me negotiis ingererem. Magis vero deterrebat, quod ad literarum latinarum, & Antiquitatis imperitos mittere cogerer, quibus difficile sit persuadere, ante annos ter centum ullos homines in hac regione vixisse. Sed movit tamen me redeuntis opificis prædicatio, cui inscriptionem plane commissurus eram Principi offerendam, si statim opus conductum fuisset aggreffus.

gressus. Verum quoniam ante natalem Bartholomæi Apostoli illuc non est migraturus, haud libuit rem tamdiu differre, præsertim cum hic adesse *Hammannum Truchses* præfectum oppidi vestri intelligerem, ad quem Schedam (*) transmissi istuc ferendam. Nihil hic venor nec laudis nec gratiæ. Invitat me partim amor patriæ communis, ut vetustas illustretur, partim Principis honor, qui multum apud posteros gloriæ consequetur, & nominis sui immortalitatem hac Inscriptione consecrabit, reparator veteris & jacentis Argentariæ, atque Possessor & Dominus loci, cum insignis olim, tum mire celebris maxime post Gratiani Augusti victoriam. Quod si istis displiceat studium nostrum, non videbor voto frustratus, si tibi tuique similibus, qui literas colitis, probabor. Saltem magis amabitis deinceps Argentariam, nobile Romanorum Præsidium, & contemplantur rerum humanarum fragilitatem, qui videatis oppidum tam munitum, tamque

(*) MEMORIAE SACRUM.

In ruinis veteris Argentuariæ, ab Alemannis in hanc Provinciam irrumpentibus funditus everse, (Harburgum ipsi dictitabant) quam Gratiani Aug. victoria cæsis haud procul hinc XXX Alemannorum Lentiensium millibus anno a Christo nato CCCLXXX, ut divus Hieronymus autor est, celebriorem reddiderat, civitatem, Antonino, Cæsari, Ptolomæo, Marcellino, aliisque commemoratam, in ejus ruinis Clarissimus Princeps Georgius Comes a Wirtenbergo &c. Hoc ædificium extrui fecit Anno salutis MDXLIII sane quam multis Romanæ vetustatis monumentis, dum fundamenta locantur, repertis erutisque. Videtis J. Stumpfii Anal. Helv. Lib. III. c. 48.

tamque amplum prorsus intercidisse, etiam ipso nomine abolito, subterraneis tantum Ruinis extantibus, quæ Vetustatem munitionis indicant. O quam nihil diuturnum in hoc Mundo! Porro non dubito, multa adhuc in ruinis latere, etiam Inscriptiones Romanas, si agri paullo altius alicubi refodiantur, apparitura. Nam de iis qui Colmariae nati sunt & educati memini me audire, sæpe Thesauros in ruinis illis esse reperi-
 tos καὶ κειμήλιά τινά, haud me Hercule parvi pretii. Id ajebant cum sua, tum multo magis suorum Majorum, ætate factum. Quicquid autem aureum est aut argenteum, secreto conflatur, ne Domino Loci juxta civilium Legum sanctionem, quod prosper obtulit Mercurius, dependere totum is qui reperit cogatur. Quantum ergo putas in mille annis illinc esse ablatum? Enim vero nostri Majores Allamanni, qui sub Valentiniano tertio cum liberis & uxoribus Rhenum transgressi in hac terra confederunt, quæ jam Romanorum erat provincia, præsidiorum loca, civitatesque omnes disjecerunt atque subverterunt. De quo Alemannorum transitu HIERONYMI illud ad Gerontiam accipiendum: *Tornacus, inquit, Nemetæ, Argentoratus, translati in Germaniam*: Non quod Germani ante non essent, sed quia Romanorum jugum acceperunt. Et hoc est quod dixi fuisse provinciam Romanorum. Ut enim res apertius exponatur, *Tribotes* Germani sive *Triboci* cum ceteris nationibus, a quibus Germania prima & secunda in hac Gallica ripa nomen sortitæ sunt, in has regiones, multis ante seculis, priusquam Julius Cæsar nasceretur, & ipsi populariter Rhenum
 trans.

transgressi, Julio postea, ac ceteris Augustis paruere, unde ambæ Germaniæ, in hoc Rheni latere, provinciæ factæ sunt: Prima atque secunda, sive superior & inferior. Proinde metu Romanorum, cum quibus jam quingentos plus minus annos pugnaverant transrhenanæ gentes Alemanni & ceteri, veriti ne resumptis illi viribus aliquando redirent, ceu modo dixi, nullum a se destructorum oppidorum statim repararunt, sed vicos in proximo constituere. Sicque *Deinheim*, *Columbaria*, *Blienswilerium* ad *Argentuariam*: ad *Argentoratum* *Kunigshovium*, *Finckwilerium*, & similes vici sunt exorti. Sed & ipsæ urbes in vicos abiere, *Augusta Raurica*, *Argentuarium*, *Brocomagus*, aliæ in ipsis ruinis paullatim coalescentes. Unde dicta sit *Argentuarium* non multo facilius est dicere, quam *Cremonæ* sive *Rarennæ* etymon invenire. *Argentuariam* appellat militare ANTONINI *Itinerarium*, ut & CL. PTOLEMAEUS *Ἀργεντουαρίαν*, at MARCELLINUS & D. HIERONYMUS, *Argentariam*. In EUTROPIO postremæ editionis quidam pro *Argentariam* supposuit *Argentoratum*. Videmus autem *Argentuariam* eo loci sitam, ubi *Ellus* sive *Alsa* amnis navigabilis esse incipit: *Argentoratum* ad confluentes *Prusæ* & *Ellici* fluminum. Forte ergo *Principem* eundem & *Conditorem* eundem urbes ambæ habuerunt, antequam limites provinciarum a Romanis ponerentur, tum videlicet, cum, ut supra meminimus, *Triboci* in hanc regionem a Germanis, auctore STRABONE, transgressi sunt. Quo tempore, (nam usos *Tribocos* advenas Germanica lingua reor,) priusquam sub Julio Cæsare demum una cum avito sermone
liber-

libertatem etiam imminui passi sunt, fortassis *Orgentonis* vel *Argentonis* alicujus, ad confluentes *Alsæ* & *Prusæ* habitatio, *Orgentenrode* dicta est, quod *Rod* Germanis domicilium sive locum habitationi destinatum significet, unde in propinquo *Ottenrod* vicus, hoc est *Othonis* domus, & *Rodwilla*, *Rodanburgum*, *Rodwilerium*, *Rodheimum*, & *Roddorff*, ab eodem vocabulo, non a rubro deducta. Similiterque locus alter superior, ubi navium patiens incipit esse fluvius, *Argentwar*, velut propugnaculum aut agger *Argentonis* appellatus est.

Orgentorigis Helvetii meminit initio *Commentariorum CAESAR*. Hæc nomina post aliquot secula Romani milites alterum in *Argentoratum*, alterum in *Argentuariam* demutarunt. Sic apud *MARCELLINUM Butzbachios* reperiō *Buccinobantes* dici. Nec aliter vulgus Germanicum Latinas voces corrumpit, dum *Finem terræ* vocat *Finsternstern*, *Finem Montium Finsternung*, *Montem concordie Rochersperg*. Id quod omnibus populis solenne est, in non intellectis. Huic originationi non minus fidei habeas, quam si esset ex *Luciani* libellis deprompta, quibus ille τῆς ἀληθοῦς ἰστορίας titulum prætulit. Stultum est nimium in antiquitatem inquirere. Quod verisimilius est, posteriores provinciæ hujus occupatores *Alamanni* illi majores nostri primis syllabis *Argentoratum*, extremis *Argentuariam* spoliantes adjecto *Burgi* vocabulo, quod munimentum Germanis significat, Romanas appellationes in *Storattiburgum*, sive elisis vocalibus *O* & *I*, *Stratburgum* & *Arzburgum* detorserunt, idiomati suo, quod sibilum & aspirationem amat, accomodantes. Sed quomodo nunc *Argentomagus* Galliæ, & *Argento-*

gentolium Hispanice oppida apud ANTONINUM interpretabimur? Enimvero te non moveat, quod PYRKHEIMERUS Argentuariam in ripa Rheni collocat, quippe labitur bonus vir, quemadmodum & nos sæpe labimur. Narrabat olim HIERONYMUS GEBWILERIUS visam *Chunrado Leontorio*, Mulbrunensi Monacho, qui tum in Barisiensi cœnobio agebat, chartam perveterem, in qua ascriptum erat: *Datum Argenturiæ, quæ nunc Colmar dicitur*. Fateor non procul abesse a Colmaria, sed tamen veterum locorum appellationes, non sunt idcirco in novas civitates aut vicos recentiores transferendæ, quod nimis crebro fit. Ad Argenturiæ sane vetustatem simul & auctoritatem facit, quod Graphionem hoc est judicem habuit, qui Comes dici solet. Jam qui sint LENTIENSES accipiendi, haud miror te non intelligere, nam horum præter MARCELLINUM, quod sciam, nullus autor meminit. Is libro XV. „Paullo post (inquit) & Lentiensibus Alamannicis pagis indictum est bellum, „conlimitia sæpe Romana latius irrumpentibus. „Ubi in vulgatis exemplaribus pro: & *Lentienfibus*, perperam legitur: & *sentientibus*. Cui hic *Lentiensium*, bone Deus, veniret in mentem? Meditabantur autem tum Lentienfes irruptionem in Rhætiam, ad lacum Brigantinum usque progressi, & tantam obviam venientis exercitus Romani stragem ediderunt. Idem MARCELLINUS libro XXXI, quem Editio Augustana supperadditum continet, ejus pugnæ, quæ ad Argentuariam gesta est, narrationem exordiens. „Et jam „Lentienfis (inquit) Alamannicus populus tractibus Rheticis confinis, per fallaces discursus, „

Tom. I. N n „ viola-

„ violato fœdere dudum concepto collimitia
 „ nostra tentabat. „ Et quæ sequuntur. Ita-
 que scias, Lentienſes (*) Martianæ Sylvæ, quam
nigram consuetudo vocat, incolas eſſe, quorum
 caput eſt hodie *Lentſilch*, olim ultra Divum
 Blaſium, & circumquaque, longius etiam por-
 tendebantur. Hi Lentienſes labente imperio Ro-
 mano in Helvetiorum terram transcendentem *Lentz-*
burgum condiderunt, in memoriam nominis ſui.
 Quæ arx proximis ſeculis nobiliſſimos Comites
 habuit, quorum opera Friderichus ille Ænobar-
 bus multas res præclaras in transalpina militia
 geſſit. Idem Lentienſes, quod ad inſcriptionem
 & propositum noſtrum pertinet, *pagorum omnium*
incolis in unum collectis (ſic enim MARCELLINUS
 ſcribit) *menſe Februario Rhenum Gelu pervium trans-*
greſſi, cum quadraginta armatorum millibus, vel ſep-
tuaginta, ut quidam laudes extollendo Principis (vide
 candorem Marcellini) *jaçtitarunt, ſublatis in ſuper-*
biam, noſtra confidentius irruerunt. Et ſequitur.
 „ Proinde, (inquit) horrifico adverſum fragore
 „ terrente, primum apud Argentuariam ſigno
 „ per cornicines dato, concurri eſt cæptum. „
 Addit tandem: „ Ita ſunt (inquit) cæſi, ut ex
 „ prædicto numero non plus quam quinque mil-
 „ lia, ut æſtimabatur, evaderent, denſitate ne-
 „ morum tecti. „ Et quæ ſequuntur. Ibi Len-
 tienſium Rex Priarius cecidit cum fortiffimo quo-
 que. Mox victores Romani Rhenum tranſeun-
 tes Lentienſium pagos in Hercynio nemore eva-
 ſtarunt, uſque ad Danubii fontem penetrando.
 Quod factum AUSONIUS poëta Aug. præcep-
 tor,

(*) Lentienſes, die Lentzen waren Schwarzwälder und Schwaben.

tor, qui tum in comitatu fuerat, hoc Epigrammate celebrat. Facit autem Danubium loquentem ad Nilum:

*Illyricis regnator aquis tibi Nile secundus
Danubius lætum profero fonte caput,
Saluere Augustos jubeo, natumque patremque
Armiferis alui quos ego Pannoniis,
Nuncius Euxino jam nunc volo currere Ponto,
Ut sciat hoc superum cura secunda VALENS:
Cæde, fuga, flammis stratos petiisse Suevos (*)
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco
Quo si, lege maris, refluxus mihi curreret amnis
Huc possem victor inde referre Gothos.*

Et rursus hoc Epigrammate Danubius loquitur:

*Danubius penitis caput occultatus in oris
Totus sub vestra jam ditione fluo,
Qua gelidum fontem mediis effundo Suevis,
Imperiis gravidas qua seco Pannonias,
Et qua dives aquis Scythico solvo ostia ponto,
Omnia sub vestrum flumina mitto jugum.
Augusto dabitur sed proximi palma VALENTI
Inveniat fontes, hic quoque Nile tuos.*

In ea Romanorum in Lentiensium agros excursionem, „ Cum, (ut MARCELLINI verbis utar)
„ ærumnis populi sui, pene ad internecionem
„ deleti, post deditionem, quam supplici pre-
„ ce impetravere, juventutem suam validam
„ Romanorum tyrociniis permiscendam obtulif-
„ sent, „ arbitror ab AUSONIO Poëta Cæ-
saris Gratiani Præceptore, quem hostes persequen-
tem trans Rhenum officii gratia comitabatur, ad

Nn 2

Con.

(*) Alemanni Lentienfes Suevi fuere.

Consulatum vacantem ejusdem munificentia paullo post evectus, tenellam adhuc puellam Bissulam nomine fuisse raptam, quam virgunculam Suevam aluit, & mox libertate donavit, in deliciis habitam, quod linguam Romanam tam feliciter didicisset, quemadmodum his carminibus ipsa testatur:

*Bissula trans gelidum stirpe & lare profata Rhenum,
Conscia nascentis Bissula Danubii,
Capta manu, sed missa manu, dominatur in ejus
Deliciis, cujus bellica præda fuit.
Matre carens, nutricis egens nescivit herai
Imperium,
Fortunæ ac Patriæ quæ nulla opprobria sensit
Illico inexperto libera servitio.
Sic Latiis mutata bonis, Germana maneret
Ut facies, oculos cærule, flava comas,
Ambiguam modo lingua facit, modo forma puellam,
Hæc Rheno genitam prædicat, hæc Latio.*

Ceterum victoriam istam Gratianus inprimis Mallobandi Francorum Germanorum, neque enim in Gallia adhuc confederant, Regi debet, qui in Palatio merebat, domesticorum comitem agens, quemadmodum hodieque Franciscus Galliarum Rex in exercitu suo Germanos conductos habet, nunc, ut rumor jactat, tractum Armoricarum inferiorem, hoc est, Artesiam Hannoniamque male vexans. Triumphum ergo reportavit Gratianus de Lentiensibus Germanis, sed potissimum auxilio Germanorum devictis, quibus, ut ex MARCELLINO liquet, nihil adeo nocuit, quam quod in prædatorios globos divisi, conjunctum exercitum non habuere. Quo minus ignominiosum fuerit,

fuerit, si hæc pugna tam memorabilis in aula aliqua arcis Argentuariensis novæ depingatur in pariete. Quid enim mirum, si Germani victi sunt a Germanis? Nam Lentienſes, tametsi viri fortissimi, homines tamen fuere. Quæ gens autem non aliquando vicit & victa est? alioqui summus ille Poëtarum HOMERUS, falso epitheto Martem, ἄλλο πρὸς ἄλλον appellasset. Et constat *Martis communis* proverbium non frustra Latinis in ore esse. Quod superest, tu amussis istis, qui scire avent quid Inscriptio contineat, hæc prolixè expones, simulque propones legendum opus Chronicorum *Abbat̃is Urspergensis*, quod *Hedio* Germanice vertit, selectæ historiæ titulo pag. 110. sub ANNIS GRATIANI. Idem Hedio, Vir optimus, quoniam Principi carissimus, & vicissim ipsi deditus, ubi redierit ex Ubiis, quo nuper ab Archiepiscopo Coloniensi evocatus est, libenter & scite vertet nostram inscriptionem, aut meliorem condet ipse, sive solutam orationem velis, sive numeris Germanicis astrictam: nam in utroque genere valet. Argumento sunt plurimorum Auctorum elegantissimæ versiones. Res non indiget festinatione, quippe hujusmodi tabulæ inscriptionum infertiles & exemptiles de genere Rutorum & Cæsarum sunt, de quibus in pandectis Juris Civilis fit mentio. Mihi profecto fusiles non placent propter furum insidias & raptorum, seditionis aut belli tempore, quod conſlari possunt. Vidi in cœnobiis quibusdam pretiosissima vitra fenestrarum duntaxat ob plumbum, quo inclusa erant, comminuta. Lapideæ tabulæ placent ex fodina lapidaria sive latonica Grefwilerienſi, quæ tabulæ etiamſi violentur,

hominum aut temporum injuria, fragmenta tamen illorum remanent. *Germaniam meam* dudum auxissem & edidissem denuo, nisi viderem absurdas opiniones & meras fabulas pluris fieri, quam veram ac fide nixam vetustatis cognitionem. Ecquis *Aventini* libros quærit, quo nullus mortali-um ævo nostro in scrutanda antiquitate diligentius versatus est? Fabulis & ineptiis mundus oblectatur. De *Speculo legum Saxonico*, Germanicus codex est, emendo, una cum Constitutionibus feudalibus Othonis primi, quod **Wichtbild** appellant, item de imaginibus primorum vetustissimorum Germaniæ Principum, *Tuisconis*, *Manni*, *Wigewonis*, *Heriwonis*, *Eusterwonis*, *Marsi*, *Grambrinii*, *Suevi*, ceterorum, pro Principe vestro emendis curam adhibe. Nam tales heroes Germanicarum nationum in parietibus cænaculorum ubique depingi deberent. Venales habentur Colmariae apud *Georgium Wicgramium* Bibliopolam, cum hoc titulo, in frontispicio libelli: **Ursprung und Herkommen der zwölf ersten alten König und Fürsten deutscher Nation, wie und zu welchen Zeiten ihr jeder regiert hat.** Saxonicae Leges Lipsiensis editionis veneunt Argentorati. Sed nimium te meis nugis onero, verendum ut sit, ne sic a lectione sacra advocatus cras minus instructus pro Concione dicturus ad populum. Vale. Datum Selestadii IV. Calendas Sextiles MDXLIII.

Beatus Rhenanus.

ANO-